VIR ILLUSTRIS,

Iis, quibus ad quaestionem propositam respondisti longe doctissime et prorsus more TUO, magnam gratiam iniisti a procerum quodam nostrorum, quem alias TIBI, si eum nosse TUA interesse putas, occasione nominabo. Sponii librum una cum duabus dissertationibus patieris tantisper servari a me, dum alia se tuto eum reddendi occasio, cuius propinqua spes est, obtulerit. In Gothico nummo, cuius ectypon transmisi, nihil notatu dignum est praeter initiales litteras nominis TOTILAE. Eum inter rarissimos in litteris MSS. in quibus de invento eo illustriss. Comiti Antonio Gunthero scribis, reponis Morellius, publice nusquam commemorat. Harduinus eum in operibus variis, quae nuperrime prodierunt, laudat in dissertatione, quae tota lectu digna est, unde nihil de eo addo. Quod Hebelcium officiis omnibus ornasti, recte fecisti; miror in quem angulum se receperit, exquiri non posse. Hamburgum enim nondum accessit, ut ab amicis Hamburgensibus, qui adventum eius praestolantur, accepi. Vide, ILLUSTRIS VIR, an opus fuerit de festinatione TE mihi purgare; multo enim maior ac fortasse nimia est, qua ad TE scribo. Ceterum a Fleischero meo cognosces. Annon miraris commissionem rerum GOTTERI nostratis? Probe memini, quid Viennae rebus olim de eo TU mihi in aurem insusurraveris. Quanto constantior BARTENSTEINIUS TUUS, si unum exceperis. Vale et fave

ILLUSTRI NOMINI

Gothae
a. d. VIII Kal. Mart.
MDCCXXXVI

addictissimo
Schlaegero

A Monſieur
Monſieur Maſcov
Conſeiller de la Cour
de S. M. le Roy de Pologne et Ele-
cteur de Saxe et Preteur de
la ville de Leipzig

a

Leipzig

216v